



Ioannes natus est Basileę mediocris fortunę sed
 honestis parentib. 25 Ianuarij anno 1507. patrē ha-
 buit Ioannem Herpsterum pictorem, cuius instin-
 ctu ipse, cum felici ingenio insignis esset, à pueris
 operam literis dedit, & rudimēta prima faciliè per-
 cepit. Cum autem bonorum autorum libri rarius
 extarent, ipse suapte manu aliquot Poëtas descri-
 psit, atq; hoc modo eorum lectiones sibi familia-
 res reddidit. Inde animum ad linguarum studium
 appulit, & in primis Latinam & Græcam magna
 sedulitate didicit. Hanc adolescentis diligentiam
 cum Erasmus obseruasset, eum plurimùm dilexit,
 & ut gnauiter pergeret admonuit. Itaq; hanc ad-
 monitionem secutus indies suam eruditionem auxit, & Glareano præcepto-
 re usus, plurimùm in omni genere literarum profecit. Hinc factum ut post E-
 uangelij doctrinam publicè susceptam ipse anno circiter 1530 primarię scholę
 triualis ad summū templum Basileę ludimoderator constitueretur. Eam fun-
 ctionem is magna laude administrauit, & optimos quosq; authores iuuentu-
 ti suę fidei conceditã exposuit. Cum autem docendo singularis gratia in eo
 animaduerneretur, in professorum Academię numerū coopatus, Græcæ lin-
 guę professio ei demãdata fuit. Ibi Plutarchi uitas magna fidelitate enarrauit,
 atq; uariarum gentium historias, & moralis philosophiã præcepta, unã cum
 linguę explicatione proposuit, cuius rei uel ipse oculatus testis & tũ eius audi-
 tor esse possim. Quandoq; etiam Poëticam docebat, & discipulorum uersus
 rara humanitate examinabat, atq; quid singulis deesset ostendebat. Vt etiam
 studia literarum commodius iuuaret, & plures studiosorum secum retinere
 posset, superioris collegij (quod Augustinianum dicitur) administrationē su-
 scipit, & cunctis gratissimus fuit.